

tur naturam contractus: idque patet in matrimonio contracto per procuratorem. *Suarez* in 3. p. T. 3. D. 2. Sect. 2. l. c.

11. *Princip. V.* Materia et forma in Baptismo, Confirmatione, Extrema Unctione, et Ordine debent applicari ab eodem Ministro, et eidem subjecto: hinc si Petrus affundat aquam, et Paulus pronuntiet formam, Baptismus est nullus, quia sensus formae est falsus. *S. Th.* 3. P. q. 67. a. 6. ad 3. Ex eadem ratione nullus esset Baptismus, si Petrus Paulum ablueret, et ad Andream diceret: Andrea, ego te baptizo. Aliud est de poenitentia, in qua materia ponitur a poenitente, forma vero a sacerdote absolvente tanquam iudice. In Matrimonio forma sive contractus potest etiam fieri a Procuratore. *Di Castil.* De Bapt. D. 1. n. 181.

§. III. Resolutio Casuum.

CASUS I. De Mutatione materiae.

Caelestinus sub administratione Sacramentorum scrupulis plenus celerime omnia peragit; is cum nuper infantem baptizaret, loco aquae e pixide salem effundit super caput infantis verba ex libro pronuntians: mox ubi errorem advertit, aquam effundit, et formam repetit plenus anxietate; postea Dominus Ludimagister, dignitate promotus Baccalaureus, in sacristia D. Parochum alloquitur: Parcat A. R. Dominatio: ego scripsi in Philosophia, quod sal nonnisi accidentaliter differat ab aqua, sicut glacies: si hoc: ergo infans modo fuit bis baptizatus. Loco responsionis ait D. Parochus: Stultescis Baccalauree: sale fricatur caro, non abluitur: juxta te baptismus esset affricatio regenerationis, et affricatio salis, cum juxta Apostolum sit lavacrum regenerationis, ad Tit. 3., Lavacrum aquae, Ephes. 5.

12. Q. I. An sal ex eo, quod non differat substantialiter ab aqua, et facile possit resolvi in aquam, sit materia apta baptismi? R. *Negative*: licet enim non physice, est tamen theologice substantialiter mutata materia, et consequenter inepta ad baptismum, utpote qui essentialiter consistit in ablutione, quae per salem fieri nequit; cum non amplius sit materia fluida: ergo nec apta ad abluendum. Idem dicendum de glacie: secus, si glacies, sal, ros, nix, nebula, vapor resolvantur in aquam: sic enim iterum habent praedicatum, et aptitudinem ad abluendum, quam sacramentum requirit. *La Croix* L. 6. p. 1. n. 22. plura de his in T. 2. de Bapt.

13. Q. II. An Caelestinus recte egerit repetendo formam baptismi ad effusionem aquae? R. Prudenter egit; quamvis enim sit speculative probabile, quod sufficiat coexistentia moralis, sive talis conjunctio materiae et formae, ut verba communi iudicio adhuc censeantur verificari de materia, etsi non coexistent physice, sed statim subsequantur, vel antecedant; sicut ad veritatem hujus propositionis: *bibo, sileo, sedeo*, sufficit, quod immediate post vel ante prolata verba *bibam, sileam* etc.; in praxi tamen recte resolvit *Jansen*. T. 2. Casu 88. n. 6. quod peccet mortaliter, qui ita administrat sacramentum baptismi, ut forma quoad unam saltem sui partem physice non coexistat materiae, v. g. si verba baptismi proferantur post finitam ablutionem; quia sacramentum exponeretur periculo nullitatis; siquidem gravissimi AA. *Cajet.*, *Scotus* et alii satis probabiliter, et certo tutius requirant coexistentiam physicam. Accedit quod in nostro casu verba fuerint prolata, et conjuncta distinctissimae actioni a vera ablutione, ergo moraliter non potuissent dici conjuncta cum sequenti vera ablutione.

14. Juvat hic notare sententiam a *Suaresio* I. c. refutatam, quae docuit, necessarium esse, ut antequam finiatur tota actio materialis, v. g.

ablutio, unctio, perficiatur tota forma. Hanc *Suarez* vocat falsam et improbabilem: tum quia id affirmatur sine fundamento, tum quia neque ad veritatem formae vel materiae, nec ad compositionem totius id necessarium est: requirere autem, ut ambae finiantur in eodem instanti, est praeter humanam facultatem, et hoc esset in dubium revocare, an ullum unquam sacramentum sit rite collatum.

CASUS II. De mutatione formae.

Calliopa obstetrix dum in necessitate baptizat, utitur hac forma: ich kersche dich in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

15. Q. I. An baptismus hic sit validus, ubi loco *ich taufe* ponitur *ich kersche dich*? R. Est validus; quia est tantum accidentaliter mutatio idiomatis; quamvis enim antiquissimum *ich kerschen* idem sit, ac facere Christianum, unde etiam dicitur *Kersch-Fest*, pro *Christ-Fest*, propter usum tamen sumitur multis in locis pro baptizare. Ut refert *La Croix* ex *Hau-nold*, et *Lugone* in *Resp. mor.* L. 1. d. 3. sicut etiam in Franconia *ich taufen* secundum pronuntiationem accidentaliter mutatur in *taeffen*.

16. Q. II. An obsit valori Baptismi pluralitas idiomatum in eadem formam conflata, uti factum est in casu nostro? R. *Negative*. Quia pariter est tantum mutatio accidentaliter. Nec requiritur, ut audiens, imo nec ut proferens intelligat voces, dummodo sint significativae illius, quod Christus voluit, et ipse velit hoc significare. Ejusmodi tamen mutatio facienda non est absque necessitate: praesertim ab ordinario Ministro Baptismi, hoc ipso quod sit contra usum Ecclesiae; in casu autem necessitatis, (ut ait *Gobat* in *Exper.* t. 2. n. 88.) melius est, ut mulieres, caeterique rudes, dum baptizant, utantur lingua vernacula; quia plerumque nesciunt perfecte proferre verba latina, vel saltem solent facile turbari proferendo sensum latinum.

17. Porro advertit I. Ad hoc ut valeat forma constans ex verbis diversorum idiomatum, requiritur 1. ut singulae voces sint ejusdem significationis cum verbis ordinariae formae. 2. Ut in unam orationem conjunctae eundem sensum referant. II. Contra eorum errorem, qui necessarium putant, ut sacramenta a singulis nationibus in vulgari lingua conficiantur, sufficit Ecclesiae auctoritas. *Nec obstat*, quod alias populus non intelligat propriam verborum significationem; hoc enim necessarium non est, sed sufficit, quod intelligatur, illa actione et verbis sacris significari sanctificationem nostram. *Suar.* hic Q. 60. D. 2. Sect. 4. III. Denique si Ecclesia praeciperet, ut hoc vel illud idioma tantum adhibeatur in conficiendis Sacramentis, peccaret quidem, qui uteretur alio idiomate; valide tamen conficeret sacramentum. *Suar.* *ibid.*

CASUS III.

Damianus ut citius baptizet infantem morti proximum, affundendo aquam dicit: Ego te abluo in Nomine Ss. Trinitatis; alias dicit: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. ego te baptizo. Nuper cum baptizans dixisset: Ego te baptizo, mox ad pueros confabulantes conversus formam interrupit, clamans: silete garruli, pueri nequam, absurdi pueri, postea perrexit: In Nomine Patris, et Filii, et Spi (hic subito sternutat, et tussit) ritus Sancti.

18. Q. I. An in prima forma: *Ego te abluo in Nomine Ss. Trinitatis* sit facta mutatio substantialis? R. per *ich abluo* non fuit facta mutatio substantialis; quia haec vox est omnino synonyma cum *ich baptizo*: idem enim, et quidem aequae expresse significat. Per *ich in Nomine Ss. Trinitatis*

fuit facta mutatio essentialis; quia vox Trinitas tantum confuse et implicite significat personas; Christus autem *Matth.* ult. voluit, ut distincte exprimerentur. Plures ejusmodi formas vide apud *La Croix* L. 6. p. 1. n. 31. et infra de Baptis. Juxta *Flor.* valet, si dicas: *Baptizetur Servus Christi in nomine P. et F. et S. S.* quia est tantum mutatio activi in passivum, adeoque accidentalis, et persona baptizantis satis exprimitur per ipsam actionem.

19. *Observandum hic I.* Ut verba substituta sint synonyma, et sufficiant ad valorem, debent ex communi institutione et usu, et non tantum ex privato mutantis arbitrio aequae distincte significare id, quod significant verba, pro quibus substituuntur; alias non aequivalerent iis verbis, quae Christus voluit adhiberi, vel quibus Ecclesia ut consuevit. *Suarez.* l. c.

20. *II.* Si aliqua natio non haberet verbum plane synonymum verbo a Christo instituto, aut in Ecclesia usitato, deberet adhiberi verbum vel ex alia lingua, vel ex proprio idiomate illud, quod proxime accederet ad significationem a Christo intentam. Sic PP. Missionarii in China, cum in lingua Chinensi non invenirent vocem synonymam voci *Spiritus S.*, verba proxime accedentia elegerunt, quae aptissime exprimerent formam Baptismi. Nihilominus *P. Riccius* diu adhuc expectandum judicavit, donec diffusa latius fide per Imperium Chinense usus ipse et consuetudo loquendi ratam fixamque significationem arrogasset vocibus ad notanda mysteria necessariis. Ita *Juvencius* in hist. S. J. L. 19. P. 5. §. 15.

21. *III.* In dubio, an vox substituta sit vere synonyma, cavendum est, ne fiat talis mutatio, alioquin dubium redderetur ipsum Sacramentum. *Suar.* l. c. ubi n. IV. addit, quod mutatio in verbum aequivocum tantum sit accidentalis, si tum ex intentione proferentis, tum ex adjunctis verbis et circumstantiis determinetur ad sensum verborum formae: hinc si in baptismo pro *to Patris*, dicatur *Parentis*, et minister velit significare *Patrem*, forma erit valida; secus si erronee vellet significare *Matrem*; quia verbum aequivocum proferret in sensu alieno a verbo formae.

22. *Q. II.* An Damianus valide baptizavit transponendo verba formae? *R.* Cum transpositio *regulariter* sit tantum mutatio accidentalis, valide baptizavit. *Ratio est*, quia *regulariter* sola transpositio non mutat sensum verborum a Christo intentum; si vero sit tam enormis transpositio verborum, ut omnino evertat sensum, non perficitur Sacramentum. *S. Th.* 2. 2. q. 60. a. 8. ad 3. v. g. si quis diceret: *baptizo et Filii te, et Patris ego Spiritus S. in nomine.* Tunc maxime transpositio facit mutationem substantialem, quando nexus verbi unius cum alio verbo evertit priorem sensum, v. g. si dicas, *quidquid per istam sanctam unctionem deliquisti, indulgeat tibi Deus per visum.*

23. *Q. III.* An interjecta illa reprehensio vitia ritum? *R.* Vitiavit illam tantum accidentaliter (quamvis propter scandalum astantium hoc modo peccetur saepe graviter; imo et propter irreverentiam et modum corrigendi). *Ratio est ex S. Th.* l. c. quia *si sit tanta interruptio verborum, quod intercipiatur intentio pronuntiantis, tollitur sensus Sacramenti, et per consequens veritas: non autem tollitur, quando est parva interruptio, quae intentionem proferentis, et intellectum verborum non aufert*; atqui hic fuit parva tantum interruptio: ergo.

24. *Q. IV.* An illa syllabarum interruptio ejusdem vocis *Spiritus* vitia ritum? *R.* Cum brevissima tantum fuerit sternutatio, et sequens tussis, non vitia ritum substantialem; idem dicendum de brevi respiratione, oscitatione, sputi ejectione etc. Facilius autem fit mutatio substantialis per interruptionem syllabarum, quam verborum; quia illarum unitas minus est divisibilis, ideoque una vel altera vox interjecta inter

syllabas ejusdem verbi magis tollit sensum, quam si integris vocibus adjiciatur v. g. si sacerdos, postquam in consecratione dixit: *Hoc est cor clamet: tacete pueri, et postea pergat: pus meum.* Denique generaliter *Suar.* l. c. recte concludit: quando vero interruptio sit substantialis vel accidentalis, non potest indivisibili regula definiri, *sed ex modo, et ex duratione temporis et ex aliis circumstantiis prudenter est judicandum*; quapropter ad tollendum omne dubium diligenter cavendum est, ne hujusmodi interpolatio fiat.

25. *Q. V.* An prior syllaba per interjectionem separata ab alia postea debeat repeti, ut simul enuntietur totum verbum? *R.* Convenientius est illam repetere, praesertim si diversa vox interjecta sit. Juvat hic reflectere ad duas regulas, quas tradit *P. Gobat in Exper.* T. 1. n. 41. et 42. *Prima est:* Tunc solum, et semper facienda est repetitio verborum prius prolatorum cum divisione unius verbi ab altero, vel unius syllabae ab altera, quando illa se junctio est tam notabilis, ut prudenter dubitari queat, an per illam impediatur sensus communis, quem ex Christi institutione deberet reddere tota forma. *Secunda est:* Licet venialiter peccetur, si unum verbum, unave syllaba repetatur, seu bis pronuntietur sine rationabili causa, attamen in dubio est inclinandum potius in iterationem, quam in omissionem; quia per omissionem praeter irreverentiam sacramenti (quae sola committitur per iterationem) etiam timendum est damnum spirituale suscipientis sacramentum.

CASUS IV.

Egbertus Sacerdos formam absolutionis plerumque balbutiendo pronuntiat: E E Ego te absolvo a peccatis tuis etc. Consecrando vero scrupulis obruitur, hinc ridiculo ac frequenti capitis annutu verba profert dicens: Hoc hoc, hoc (postquam aliquantulum haesit, velocissime profert reliqua) est enim Corpus meum; quoties advertit se ex scrupulis distractum fuisse, integram formam repetit.

26. *Q. I.* An forma balbutiendo prolata ob repetitionem aliquarum litterarum sit valida? *R. Affirm.* Quia non mutatur sensus substantialiter; defectus autem ex balbutie ortus facile ex circumstantiis advertitur, et quilibet audiens intelligit totum sensum a Christo intentum. Egbertus tamen ob reverentiam Sacramento debitam tenetur emendare hunc defectum, quantum potest fieri.

27. *Q. II.* An graviter peccent illi, qui formam ita proferunt, ut unum verbum vel syllabam bis terve repetant, uti fecit Egbertus scrupulosus? *R. Per se* loquendo peccant graviter; quia inducunt novum ritum circa actionem omnium gravissimam: absque prudenti causa mutant formam: denique repraesentant nobis Christum ridicule loquentem, rudioribus, uti etiam A catholicis scandalum praebent, et actiones sacramentales gravi contemptui exponunt; *per accidens* tamen isti scrupulosi ita agendo leviter tantum, saepe omnino non peccant, quia nimis agitati scrupulis vel ex perplexitate, vel sine ulla advertentia ad malitiam aut irreverentiam, unum alterumve verbum repetunt. Hinc *Gobat in Exper.* T. 3. n. 95. addit: Credo tamen, tales coram Deo non peccare graviter; quia scrupuli eos adigunt ad hanc parvam stultitiam. Pronuntiare formam sibilando ita, ut ab omnibus astantibus percipiatur, annuendo capite et toto corpore, valde indecens est.

28. *Q. III.* An Egbertus ob scrupulosas distractiones bene egerit formam repetendo? *R. Male* egit; quia cum involuntariis ejusmodi distractionibus adhuc stat advertentia sufficiens ad actum humanum. Porro circa repetitionem formae tene sequentes regulas.

29. *Prima*: Qui certus est, quod erraverit substantialiter in pronuntiatione formae, tenetur eam in debita materia repetere sub gravi peccato, et quidem absolute, v. g. si quis certo sciret, quod baptizando dixerit: *Ego te in nomine P. et F. et S. S.*, quia quilibet Minister Sacramenti tenetur sub gravi obligatione procurare valorem Sacramenti, ne cum gravi irreverentia ipsum Sacramentum nullitati exponatur, et ipse suscipiens defraudetur fructu Sacramenti. Ita *Comm.*

30. *Secunda*: Qui rationabiliter, hoc est ex prudenti ratione dubitat, an formam quoad substantiam recte protulerit; an aliquid substantiale in ea mutarit vel omiserit, tenetur eam repetere sub conditione. V. g. Si non rite baptizavi, absolvi, vel consecravi, Ego te baptizo, absolvo. Ita *Bonac. de Sacram. D. 1. q. 2. p. 1. n. 35.* Quia in hoc casu iterare formam minus est malum, quam non iterare: per iterationem enim solum est periculum irreverentiae erga Sacramentum; per neglectam vero iterationem simul est periculum damni illius, qui vult suscipere Sacramentum, ut dictum est n. 25. *Dixi*, formam repetendam esse *sub conditione*: quia incertum est, an ea non sit vere ac rite prolata, adeoque absolute iterata exponetur periculo falsitatis.

31. *Tertia*: Qui ob leve dubium et inanem scrupulum, adeoque sine rationabili fundamento etiam conditionate repetit formam, per se loquendo, peccat graviter; quia hoc est temere iterare Sacramentum, ideoque ex genere suo grave peccatum. *Confirm.* Ex eo, quia si justa causa repetendi formam non adsit, Minister non potest serio dicere: Si non baptizavi, absolvi, consecravi, baptizo, absolvo, consecro, sed re ipsa potius praesumitur dicere: sive baptizaverim, absolverim, consecraverim, nec ne, Ego te baptizo, etc. Hinc *Gobat* l. c. n. 378. iterationem Sacramenti ex inani dubio et levi scrupulo vocat irrisionem Sacramenti. Nihilominus *Sporer* in Theol. sacram. P. 1. C. 2. num. 99. cum *Tamb.* eos a gravi, non tamen veniali, peccato excusat, qui eo fine *subinde* (non autem *ordinarie*, vel ex consuetudine) sub conditione repetunt formam, ut molesto se expediant scrupulo et conscientiae consulant; quia tales moti bono fine non offendendi Deum, non videntur gravem irreverentiam Sacramento inferre; adeoque ob heteroclitum iudicium excusandi sunt a gravi peccato. Ex his pro praxi deduces, quod is, qui alias bene solet pronuntiare formam, et non facile errare, non debeat repetere formam, etsi non meminerit ob involuntarias distractiones, an et quomodo eam protulerit. Secus, si quis frequentius soleat errare.

CASUS V.

Eduardus, ut instillet devotionem erga B. Virginem, ex simplicitate potius, quam malitioso errore baptizans dicit: Te baptizo in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et B. V. Mariae. Nuper, cum mulier peregrina prolem suam baptizasset dicendo: Ich dir tauff in der Nam den Vater und die Sohn, und das eilig Geist, mox ipse infantem rebaptizavit.

32. Q. I. An additio verborum: et *B. Virginis*, reddiderit formam baptismi invalidam? Respondet *S. Th.* P. 3. q. 60. a. 8. in corp. *Si sic intelligatur in Nomine B. V. baptizari, sicut in nomine Trinitatis, quo Baptismus consecratur, non esset Baptismus; talis enim sensus esset contrarius verae fidei, et per consequens tolleretur veritatem Sacramenti; si vero sic intelligatur, quod additur: et in nomine B. V., non quasi nomen B. V. aliquid operetur in baptismo, sed ut ejus intercessio prosit baptizato ad conservandam gratiam baptismalem, non tollitur perfectio Sacramenti.* Itaque juxta eundem tunc per additionem fit mutatio substantialis, quando verba addita corrumpunt debitum, et catholicum sensum, v. g. si quis dicat: Ego te

baptizo in Nomine Patris majoris, et Filii minoris, sicut Ariani baptizabant. Si vero talis additio non auferat debitum sensum, fit tantum mutatio accidentalis: v. g. si quis dicat: Ego te baptizo in Nomine Patris omnipotentis, et Filii ejus unigeniti, et Spiritus S. Paracliti. Non tamen licet citra peccatum grave formas ita mutare hoc ipso, quod sit contra usum et praxim Ecclesiae. Formas dubias vide apud *La Croix* hic n. 34.

33. Q. II. An subtractio *et Ego* formam reddiderit invalidam. R. Non fecit invalidam; quia juxta *S. Th.* l. c. tunc per subtractionem fit mutatio substantialis, si diminuatur aliquid eorum, quae sunt de substantia formae, sive quando vox omissa est essentialis ad exprimendum sensum a Christo intentum v. g. si quis omitteret *et baptizo*, vel aliud synonymum, aut unam e tribus Personis divinis; accidentaliter vero mutatio fit quando subtrahitur aliquid, quod non est de substantia formae, quia tunc non tollitur sensus verborum a Christo intentus: atqui *et Ego* non est de substantia formae baptismi, quia per omissionem illius non tollitur sensus a Christo intentus; ergo. *Gobat*, T. 2. n. 69. admittit hanc responsionem esse veram in lingua latina, non vere in Germanica, aut Gallica; in his enim si omittatur pronomen *Ego*, alius erit sensus.

34. Q. IV. An semper peccet graviter, qui omittit vocem aliquam, quae non pertinet ad substantiam formae? R. Si id fiat cum scandalo vel contemptu, peccat graviter: si sine scandalo et contemptu, peccat leviter, ob materiae levitatem, ut ait *Laym.* l. c. n. 4.; ille autem cum contemptu sufficiente ad peccatum mortale videtur agere, qui omittit aliquam vocem deliberate et studio.

35. Q. V. An altera forma propter soloecismos Germanicos fuerit invalida? R. Fuit valida; quia talis corrupta locutio non infert mutationem formae essentialem; quilibet enim illa verba audiens alium sensum per illa non intelligit, nec in illis circumstantiis intelligere potest, quam illum quem ex verbis debite prolatis intelligeret. Sic *Zacharias* Papa de illa forma: *baptizo te in nomine Patria, et Filia, et Spiritu Sancta*; respondit *S. Bonifacio* (ut refertur c. retulerunt, 86. *Dist. 4.*) *sanctissime Frater, si ille qui baptizavit, non errorem introducens aut haeresim, sed pro sola ignorantia romanae locutionis infringendo linguam . . . baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizentur*; ergo propter soloecismos non judicavit, illam formam esse invalidam.

36. *Ex his adhuc resolves* I. Quando Minister ob praecipitationem aut balbutiem omittit, vel mutat verborum litteras praesertim extremas, v. g. si quis praecipitanter diceret: Ego te baptizo in Nomine *Patri*: vel hoc est enim *Corpus meus*, vel ego te absolvo a *peccati tui*, non mutat quidem formam substantialiter, tenetur tamen hanc negligentem pronuntiationem posthac corrigere. Dixi *litteras praesertim extremas*: quia mutatio primarum litterarum facilius vitiat formam, eo quod audientibus plane alienum sensum adferat: v. g. si quis dicat: ego te baptizo in Nomine *Matris* et *Filii* . . . Ratio *S. Th.* l. c. a. 7. ad 3. est, quia mutatae litterae primae mutant significationem, mutatae vero extremae mutant tantum consignificationem: aliquando tamen etiam ultima littera mutata secum trahit mutationem substantialem v. g. si Confessarius diceret; *absolve* te.

37. II. Minus culpabiles sunt, qui non possunt pronuntiare certas litteras v. g. R dum dicunt, hoc est enim *copus* vel *colpus*. Item qui juxta consuetudinem patriae aspirationem omittunt dicentes: *Oc* est corpus; item qui juxta consuetudinem loci vel addunt litteras impertinentes, sicut teste *Conink*, quidam populi loco *Spiritus* dicunt *Espiritus*, et Chineses, teste

Illung., loco *baptizo* dicunt *bapetizo*, vel qui mutant litteras, O pronunciano ut A v. g. Ego te *absalvo* etc.

38. III. Substitutio scriptionis, nutuum, aut aliorum signorum pro verbis facit mutationem substantialem in omnibus Sacramentis, excepto Matrimonio, ut infra dicemus.

39. IV. Juxta dicta n. 11. non valet Sacramentum, si materia applicetur ab uno, et forma pronuncietur ab altero; quia hoc modo sensus formae est falsus; alter enim non faceret id quod dicit se facere, alter vero non pronuncieret formam. *Excipe* 1. Sacramentum Eucharistiae, ubi unus potest consecrare hostiam, alter vinum, si primus fieret impotens. 2. Excipe Sacramentum Ordinis; potest enim unus Episcopus conferre potestatem consecrandi, alius absolvendi, quia in utroque hoc sacramento sensus, et veritas harum formarum partialium non dependent essentialiter ab invicem. Idem dicemus de Sacramento Extremae Unctionis. Vide *La Croix* L. 6. p. 1. n. 33. cum *Dicast.* et *Bernal.* et supra n. 11.

40. V. Si minister debitam materiam adhibeat, et formam rite proferat cum intentione faciendi, quod Christus instituit, vel quod Ecclesia Christi facere intendit, *per se loquendo* vere conficit Sacramentum, quamvis ille privato errore contra veritatem Sacramenti laboret. Sic valide consecrat Sacerdos, qui super panem triticeum, et vinum de vite legitima verba utriusque consecrationis pronunciat; etsi erronee putet in consecratione hostiae *eo meum* significare suum, h. e. Sacerdotis corpus, vel in consecratione calicis *eo Hic* significare adverbialiter, sive hoc loco. Pariter valide consecrant Graeci, etiamsi putent verba illa, *quod pro vobis tradetur*, quae solent addere in consecratione hostiae, esse de essentia formae, et solum panem fermentatum esse materiam primae consecrationis, velintque forte hunc ritum in Ecclesiam Latinam etiam inducere. *Ratio horum est*: quia licet Minister errorem privatum speculativum habeat, aut privatam intentionem novi ritus, hic tamen error et intentio, cum saltem implicite conditionata sit, et nitatur supposito falso, ideo superatur ab altera generali intentione absoluta, faciendi nempe, quod Christus instituit. Ita *Laym.* L. 5. t. 1. C. 4. n. 5.

41. *Nec dicas*: Zacharias Papa cit. n. 34. respondit, baptismum sub forma in nomine Patria etc. fuisse validum, si *baptizans noluerit inducere errorem*: Item *S. Thom.* P. 3. q. 60. a. 8. in corp. ait: *Et ideo si intendat per hujusmodi additionem, vel diminutionem alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici Sacramentum: ergo.* R. Uterque tantum innuit, incertum esse, an talis Minister habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit, et consequenter, si haec intentio desit, Sacramentum esse nullum, quod utique verum est. Responsio patet ex contextu *S. Th.*; ibid. enim addit: *non videtur perfici Sacramentum, quia non videtur, quod intendat facere id quod facit Ecclesia.* Dixi supra, *per se loquendo*. Nam in eo casu Sacramentum esset nullum, 1. si Minister errorem suum, aut pravam intentionem tam absolute haberet, ut positive nollet facere, quod Christus instituit, aut quod facit Ecclesia. 2. Si expressa intentione efficaciter contraria excluderet veritatem Sacramenti, v. g. si absolute nollet aliter consecrare, quam per *Hic* adverbialiter sumptum, hoc casu Sacramentum esset nullum non ex defectu materiae vel formae, sed ex defectu intentionis. 3. Si formae aliquid adderet, quo illius substantia mutaretur. Vide n. 32. et *Suarez* hic D. 2. q. 60. a. 8. Sect. 5.

CAPUT II. De Ministro Sacramentorum.

§. I. Praenotanda.

42. Praenot. I. Dum hic quaerimus de causa efficiente Sacramentorum, non agimus de eorum Institute; de fide enim est, omnia Sacramenta N. L. a Christo D. fuisse instituta, ut constat ex Trid. Sess. 7. can. 1. cit. num. 2. Sed agimus de Ministro Sacramentorum, sive de eo, qui operans nomine Christi Sacramentum conficit. In hoc spectari debet 1. *Persona*, et *officium* sive potestas. 2. *Intentio*. 3. *Sanctitas*, sive status gratiae.

43. II. *Intentio* in genere est voluntas aliquid operandi. Hic sumitur pro voluntate conficiendi Sacramentum, quae potest habere triplex obiectum; *primum* est actio praecise externa; unde quaeritur, an sufficiat intentio ponendi praecise actum externum, sive caeremonias externas. *Secundum* est effectus Sacramenti. *Tertium* est facere, quod Christus instituit, vel quod facit vera Ecclesia.

44. III. *Intentio primo* alia est *actualis*, quae in genere est praesens actus voluntatis, quo quis vult aliquid. Hic sumitur pro actu voluntatis advertenter et perceptibiliter imperante confectionem Sacramenti. Alia *virtualis*, quae est actus voluntatis praeteritus, non revocatus, et simul permanens in una serie actionum, quae pertinent ad finem intentum. Haec re ipsa est prior intentio actualis, adhuc tenuiter et imperceptibiliter durans, et influens in actionem vi intentionis actualis antea coeptam; ideo alii intentionem actualem dividunt in formalem et virtuales: quia virtualis in se est vere actualis, sive actus tenuis et imperceptibilis adhuc existens in virtute sua h. e. vel *in se*, sed tenuiter, ut ait *Lugo*; vel *in applicatione potentiarum* externarum, ut vult *Suar.* et alii apud *Lohmer*, de Sacram. in gen. a. 1. q. 43., vel *in applicatione aliqua ab appetitu sensitivo causata*, ut ait *Haunold*, vel saltem in aliquo suo effectu. Vide *La Croix* L. 4. n. 1324. *Intentio virtualis* tamdiu censetur perseverare, quamdiu actualis formalis non revocatur, et simul ponuntur media ad intentum finem: v. g. si Sacerdos facta intentione celebrandi missam eat ad sacristiam, lavet manus, se induat paramentis etc., quin repetat sub his actionibus perceptibiliter actualem intentionem celebrandi; nihilominus prudenter dicitur vi prioris intentionis haec omnia agere, et pergere in operando ad finem per formalem intentionem imperatum. Alia *habitualis*, quae est ipsa intentio actualis praeterita, praecise prout necdum est retractata, neque tamen in se, neque in sua virtute, vel aliquo effectu a se relicto existit, et per hoc differt a virtuali; talis potest esse in ebrio aut dormiente.

45. *Secundo*. *Intentio alia est interpretativa*, quando quis actualem voluntatem conficiendi Sacramentum, vel ex alio fine operandi nec habet, nec habuit, est tamen ita comparatus animo, ut eam haberet, si de ea cogitaret. Alii cum *Laym.* et *Pontas* V. *Intentio* cas. 1. habituales confundunt cum interpretativa: hi enim habituales definiunt esse habitudinem seu facilitatem habendi intentionem, aut exercendi actiones ex intentionibus factas. Alii habituales sumunt pro virtuali. Praecipue notandum, quod intentio actualis alia sit *directa* sive *exercita*, dum quis vere et actualiter habet voluntatem faciendi id quod facit, quamvis per alium actum reflexum non advertat talem voluntatem. Alia *reflexa*, dum quis reflexe cognoscit, se habere seriam voluntatem, hoc vel illud agendi. *Directa* alio sensu est illa, qua aliquid formaliter et in se intenditur, sic opponitur *indirectae*, per quam intenditur aliquid in alio, ex quo illud secuturum cognoscitur: v. g. si quis intendat ebrietatem, ex qua praevidet secuturum homicidium.

46. *Tertio*. *Intentio explicita* est, qua aliquid in se et sub sua specifica ra-